



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm  
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium  
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ... ;  
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non  
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris  
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac  
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ  
aliæ, quæ ad Operis ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1732**

Attestationis Exercitorum peract.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

rùm declaravit eadem Sac. Congreg. Concilii in Matheranen. 4. Novembr. 1666. lib. 25. fol. 270. in qua censuit Regulares unius Diœcesis non potuisse eligere Conservatorem Episcopum alterius Diœcesis, & electionem ab eis ita factam, irritam fuisse declaravit. Ideoque ne iurisdicção Ordinaria Episcopi novitatibus confundatur, & perturbetur, super his animadvertere bonum erit.

*Ibidem ad Const. Gregorii XV. de exempt. privil. pag. 433.*

223 *Num. 4.* Quod verba facultativa, sive precaria, nempe *possit, valeat, rogo, opto, placeat* &c. in ultimis voluntatibus habeant vim præcepti, & iussionis, tenuit *Rot. in celebri Romana Hereditatis de Ruspulis 13. Junii 1704. S. Hæc tamen, coram Molines.*

*Ibid. ad liter. Sacr. Congreg. Episc. de exercit. spirit. pag. 471.*

224 *Num. 2.* Qui promoveri cupiunt ad Ordines Sacros, postquam in examine fuerint quo ad doctrinam, & alia requisita approbati, debent ante ordinationem peragere exercitia Spirituality per decem dies, & quod illa peregerint, exhibere authenticam fidem, quæ poterit concipi modo sequenti.

### F O R M U L A

*Attestationis de exercitiis peractis.*

**E**go infra scriptus Superior Domus Congreg. S. Philippi Neri (sive Superior Conventus N. sive director deputatus) hujus Civitatis N. fidem facio R. D. N. in proxima ordinatione promovendum, vacasse per decem dies exercitiis Spirituality in eadem Domo, direttore deputato P. N. in quorum, &c. Datum, &c.

*N. Præpositus Cong. Oratorii.*

Locus + Sigilli.

(Sive Prior Conventus)

225 Curare debent omnino Episcopi, ut Spirituality Exercitia fiant ab ordinandis collegialiter, metodo, & ordine jam insinuato in alio meo Opusculo, cui titulus inscribitur, *Instruzione per li dieci giorni d'esercizj* &c. ad quem lectorem remitto.

*Ibid. ad lit. Sac. Congreg. Episc. de Doctrin. pag. 475.*

226 *Num. 10.* Præter ibi notata, adde quod sensus Scripturæ Divinæ explicatur his versibus.

*Litera gesta docet, quid credas allegoria.*

*Moralis quid agas, quid speres anagogia.*

227 Sensus igitur literalis, (in quo eminent D. Hieronymus) res accipit, prout verba ipsa significant.

228 Sensus allegoricus, (in quo versatur S. Ambrosius) ostendit nobis, quid sit credendum, quia tendit circa credibilia. Dicitur allegoricus à nomine Græco *Alcon*, quod est alienum; & è *Legos*, quod est sermo, quasi sit alienus sermo ab eo, quod voces sonant.

229 Sensus tropologicus, seu moralis (in quo felicissimus fuit D. Gregorius) ostendit quid agendum, quia tendit circa moraliter agenda. Dicitur tropologicus à nomine græco *Tropos*, quod est conversio, & à *Logos*, quod est sermo, quasi sit sermo conversus ad animæ edificationem, & morum informationem.

230 Sensus verò anagogicus (in quo mirabilis est S. Augustinus) ostendit quid sit sperandum, quia tendit circa speranda in æterna beatitudine. Dicitur Anagogicus à nomine græco *Ana*, quod est sursum, & *Goge*, quod est ductio, quasi quod sit sursum ductio, seu locutio de terrenis, quibus significantur Cælestia.

Ex. gr. *Hierusalem* in sensu literalis signi-